



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiæ Augustæ Scriptores VI**

Ælius Spartianus. Vulc. Gallicanus. Julius Capitolinus. Trebell. Pollio. Ælius  
Lampridius. Flavius Vopiscus

**Spartianus, Aelius**

**Lugduni Batavorum, 1671**

De Herenniano, XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51232)

custodiarum quasi limes includitur, locis defensa non hominibus. <sup>1</sup> Nam non sunt statura decori, non virtute graves, non instructi armis, non consiliis prudentes, sed hoc solo securi, quod in editis positi adiri nequeunt: <sup>2</sup> quos quidem divus Claudius pene ad hoc perduxerat, ut à suis semotos locis in Cilicia collocaret, daturus uni ex amicissimis omnem Isaurorum possessionem, ne quid ex ea postea rebellionis oriretur.

## DE HERENNIANO, XXVI.

**O** Denatus moriens duos parvulos reliquit, Heren-<sup>27</sup> nianum & fratrem ejus Timolaum: quorum nomine Zenobia usurpato sibi imperio diutius quam foeminam decuit, Remp. obtinuit, <sup>3</sup> parvulos Rom. <sup>4</sup> imperatoris <sup>5</sup> habitu proferens purpuratos, eosdemque adhibens concionibus, quas illa viriliter frequentavit: Didonem & Semiramidem, & Cleopatram sui generis principem inter cætera prædicans. Sed de eorum exitu incertum est. Multi enim dicunt eos ab Aureliano interemptos, multi morte sua esse consumptos: siquidem Zenobiæ posterii etiam nunc Romæ <sup>6</sup> inter nobiles manent.

## DE

<sup>1</sup> Nam non sunt statura decori.] *Statura decori. idem liber.*

## CASAUBONUS.

<sup>2</sup> Quos quidem divus Claudius p.] In Claudii quæ sequitur vita, nihil de Isauria Trebellius. & fortasse Claudium hic nominat loco Probi. de quo familia referuntur à Vopisco.

<sup>5</sup> Habitu proferens purpuratos.] *Scripti, præferens.*

## SALMASIUS.

<sup>3</sup> Parvulos Romani imperatoris habitu proferens purpuratos.] *Præferens purpu-*

*ratos. Palat. Romani autem imperatores soli purpurati, eorumque proprium gestamen purpura. supra in Ballista: multi & sumpsisse illum purpuram, ut Romano more imperaret, exercitum duxisse, & de se plura promississe dixerunt.*

## GRUTERUS.

<sup>4</sup> Imperatoris habitu proferens purpuratos.] *Habet etiam Palatinus præferens, quod & alii in suis invenerunt.*

<sup>6</sup> Inter nobiles manent.] *Pal. maneat. forte maneat.*